



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 101. ad 125.

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1764

VD18 15558428-001

Psalmus CXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53433)

sunt morte peccati, licet vivant vitâ naturâ,
non laudabunt te Domine, neque ii, qui
in morte peccati confirmati sunt, & ad pœ-
nas æternas descenderunt : *Sed nos qui vivi-*
mus vitâ gratiæ, qui per fidem, & charita-
tem tibi inhæremus, & jam caelestis patriæ
cives sumus, quamvis interim ad tempus ha-
bitemus in terris, nos, inquam, benedicimus
sibi, & benedicemus usque in æternum.

PSALMUS CXIV.

Titulus, & argumentum : *Alleluja.*

Psalmmum exponunt aliqui cum Hebraicis,
de temporali aliquâ pressura, vel morbo, à quo
liberari cupiebat Propheta. Sed cum SS. PP.
Basil. Chrysost. Hieron. & Aug. exponi potest
de homine spirituali, sitiente salutem æternam,
& gemente propter tentationes, & pericula.

ψ. 1. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus
vocem orationis meæ.

Dilexi Dominum, quoniam certus sum,
quòd exaudiet vocem orationis meæ, nam ex na-
turâ suâ benignus, & misericors est. Quòd
ait, dilexi, non addendo, quem; hoc indicat
ardens desiderium Domini, & quòd suppo-
neret, omnes scire, quem dicere velit, nem-
pe Deum ab omnibus absolutè amabilem.

ψ. 2. Quia inclinavit aurem suam mihi, & in
diebus meis invocabo.

Indè

Indè scio, quòd exaudiet preces meas, quia inclinavit &c., h. e. per gratiam prævenientem inspiravit desiderium orandi; & ideo, dum affulgent mihi dies gratiæ, non omittam occasionem, sed invocabo Dominum.

¶ 3. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.*

Explicat materiam suæ orationis, quæ sunt tentationes, & pericula salutis æternæ, quas solas tribulationes magni pendit anima verè Deum diligens. Undique me circumstant tentationes mortiferæ, quæ sunt pericula damnationis.

¶ 4. *Tribulationem, & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.*

Multi, occupati fortè prosperitatibus sæculi, quò magis circumdati sunt periculis salutis, eò minùs ea considerant, & ideo nec timent, nec dolent. At David, ea considerando, tremens, ac dolens ajebat: quia, blandiente licèt sæculi prosperitate, tamen adverti, me circumdatum doloribus mortis, & expositum periculis inferni, ideo gemens nomen Domini invocavi.

¶ 5. *ô Domine libera animam meam: misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur.*

Dicens: *ô Domine libera animam meam de dolo-*

doloribus mortis, & periculis inferni : Ad-
dit rationem : nam *misericors Dominus, & ju-*
stus est, & miseretur, præveniendò peccato-
rem gratiâ suâ, h. e. pœnitentiam, & oratio-
nem inspirando.

ψ. 6 *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, & liberavit me.*

Miseretur Dominus, ut jam dictum est, sed præcipuè parvulis timentibus eum, custodiendo eos, ut teneros filios, quibus æternam hæreditatem paravit. Et cum David se unum ex illis esse divini us sciret, addit : *humiliatus sum, h. e. ex parvulis esse studui : & concludit liberavit me, puta in spe : nam hebraicè in futuro est, liberabit me.*

ψ. 7. *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.*

Liberatus homo justus in spe, gratulatur sibi ipse tantum bonum dicens : anima mea, festina passibus desiderii ad locum veræ, ac sempiternæ quietis : *quoniam Dominus benefecit tibi, retributurus scil. vitam æternam.*

ψ. 8. *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrimis, pedes meos à lapsu*

Explicat illud, *benefecit tibi*, & dicit esse vitam æternam : *Quia animam meam eripuit à morte, & donavit vitam, non subjectam ul-*
li ma-

li malo, sed cumulatam omni bono, & securam, ac sempiternam, ut ab eâ excidere nunquam possim.

ṽ. 9. *Placebo Domino in regione vivorum.*

Concludit Psalmum dicens, quòd sicuti ipse securè possidebit vitam optimam, & dulcissimam, quæ vehementer ipsi placebit: ita etiam ipse placebit Domino vehementer, & securè *in regione vivorum*, h. e. in cælo.

PSALMUS CXV.

Titulus: *Alleluja.*

Argumentum: *agit gratias Deo, & vota se persoliturum pollicetur pro salute aeternâ, quam bonâ spe iam possidere cœpit.*

ṽ. 1. *Credidi, propter, quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.*

Respicit ad illa verba, *Placebo Domino in regione vivorum*; & quasi aliquis interrogasset, unde nosti regionem vivorum? respondet se novisse per spiritum fidei. *Credidi*, esse regionem vivorum, licet oculis non videatur; & ideo dixi, *placebo Domino, &c.* Sed quia hæc fides requirit animam humilem, quæ se Spiritui S. plenè subjiciat ad obedientiam fidei, addit: *humiliatus sum, &c.* ideo credidi, quia non ingenio meo nitor, sed valde humilem, ac docilem me Spiritui S. præstiti.

ṽ. 2.